DISSERTATIO MEDICA,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS MONCRIEFFE,

SCOTO-BRITANNUS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque ſolitis.

Nec Veneris fructu caret is qui vitat amorem,
Sed potius quae ſunt ſine pœna commoda ſumit. LUCRET.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXVIII.

BRITISH MUSEUM

DAVIDI MONCRIEFFE

DE MOREDUN, ARMIGERO,

CURIÆ REGIÆ FISCALIS

IN SCOTIA SOLLICITATORI,

AMICO SUO SPECTATO,

GUL. MONCRIEFFE,

S. P. D.

Cum hoc tempore aliquid quaſi in lucem edam, neque quiſquam vivat cui plus, ob optima conſilia, beneficia maxima, debeam; ideo, nullam opportuniorem occaſionem nacturus, praeſenti utor, qua memorem tantae bonitatis fore animum meum teſter, quaſque ſemper habiturus ſum, ſemel gratias agam.

VIVE, VALEQUE.

DISSERTATIO MEDICA

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

DEFINITIO.

HUMOR quidam ex urethra profluens, hujus os ampliatum, glandis inflammatio, item durities, tumor, et colis erectae cum meiendi difficultate dolor, gonorrhoea virulenta est, quam futuro sermone tractaturus sum.

HISTORIA MORBI.

VIRUS venereum urethra receptum, aliquamdiu diutius ac brevius, pro veneni violentia, aut certis hominum conditionibus quas nescimus, quiescit. Post contagionem receptam, morbi vis plerumque

que inter tertium vel decimum diem adparet. Cujus adventum titillatio quaedam circa glandem imam haud ingrata praenunciat; tum humor, nisi expressus, non exploratur; is candidior et crassior muco naturali exit. Jamque titillatio et frequentior et molesta magis sentitur; jam inter urinam reddendam, praecipue extremas guttas, dolor acutus manifestus est. Is mirum in modum ingravescit, sed non ita ut urinam, nisi raro, supprimat. Deinde in extrema glande inflammatio, primum, prope ejus acumen, qua maxime humori ex urethra exeunti patet, discernitur. Penis magnitudine crescit: Idem nocturno tempore, saepe cum dolore, deorsum incurvatus; sed sine certis circuitibus erigitur. Quo tempore testes rotantur, et interdum intumescunt. Maculae rubrae, pulicum morsuum instar, glandem, sed in latitudinem potius quam altitudinem serpentes, et tandem in ulcuscula euntes, distinguunt. Ex urethra exiens humor, vario colore, modo albescit, modo flavescit,

flaveſcit, modo virideſcit, modo ſanguine tingitur.

PRAETER haec quae gonorrhoea magis communia ſunt, alia raro magis, ut glandularum inguinalium et perinaei dolores atque tumores, ſe oſtendunt; quin et mimime rarum eſt, praeputium inflammatum vel totam glandem abſconditam, vel partem poſteriorem, arctiſſime et immobiliter conſtringere. Simili fere ratione, mulieres dempto partium diſcrimine inficiuntur; nam inſolitus humor vulvam madefacit; ſimul naturalium ora pruriunt, tumeſcunt, inflammantur, leviter exulcerantur, humorque ardente urina ex urethra effluit.

SIGNIS inflammationis vulgo inter ſex octo vel decem dies evaneſcentibus, humor tandem miteſcit, magis albeſcit, aut forſan viſcidus magis redditur, ac tandem ſine multo hominis aut dolore aut moleſtia effertur. Interdum tamen urinae

rinae ardor, interdum colis erectio, verrucae et bullis chryſtalinis ſimilia quaedam, unde et nomen iis inditum, relinquuntur.

CAUSA PROXIMA.

Quo pacto virus abſorbeatur, addubitatum eſt. Aliis e glande in urethram differri, aliis ipſa primum urethra protinus excipi, contendentibus; quod utique urethra protinus excipi, partim e praelectionibus ingenioſiſſimi mei Praeceptoris MONROII Secundi, partim ab ejus de hac re colloquiis, didici. Qui, "materia,' inquit, "venerea urethram, foraminibus ex ſumma glande exeuntibus, non ingreditur; nam ſic ulcuſcula illic venerea gonorrhoeam quoque facerent. Neque eadem a venis lymphaticis, ad glandulas conglobatas, quas urethrae membranae adhaerere, aliquis forſan fingat, excipi poteſt; ſiquidem humor, quem lymphaticae venae ab iſtiuſmodi in glande ulcuſculis auferunt, non in urethram,

rethram, ſed glandulas inguinales, defertur, ubi tumores venereos qui bubones vocantur creat." Quibus ego rationibus adductus, virus illud extrema urethra excipi, et protinus ad membranam ejus interiorem applicari, judico.

Quod autem ad propriam venerei veneni naturam attinet, omnes de hac re opiniones hactenus conceptas nunc pro totidem animi fictis imaginibus, et jure quidem, habentur. Solum hoc de natura ejus, illud cum humoribus urethrae conjungi, eoſque ad ſuam naturam mutare poſſe, novimus; quod proprio fermento fieri arbitramur. Cum enim aliquamdiu in urethra humor innoxius jaceat, quin tandem per fermentum agat, non eſt addubitandum. Eſt igitur humor venereus fermentum; ſed quale ſit, aut cujus ſpeciei, quo adeo dire per corpus graſſetur, non etiam ſtatuere poſſumus.

SEDES

SEDES MORBI.

LICET ita, ut dictum eſt, cauſae proximae neſcii ſimus, ejuſdem ſedes quae ſit inter pleroſque convenit; non enim Cowperi glandulae, non proſtatae, ut olim creditum eſt, ſed urethra ſedes manifeſta eſt.

UNDE ORIATUR.

LICET nulla fere de ſede morbi amplius controverſia ſit, multae tamen, unde gonorrhoeae materies ſit, et fuerunt et ſunt diſſentiones. Dum alii ab aucta muci vitiati ſecretione, alii ab urethrae ulcuſculis, oriri depugnant. Quarum opinionum prior nuper in hac ipſa Alma Academia ſatis firmata videtur. Verum, et urethram exulcerari, ejuſdem de quo ſupra relatum eſt viri auctoritate impulſus arbitror.

VENENUM,

VENENUM, poſtquam mucum, quem natura ad oblinendam et a noxa defendendam urethram comparavit, in ſuam naturam vertit, uſque irritando, humoris praecipue mucoſi profluvium auget. Idem mucus venenatus copia et acri natura membranam paulatim inflammat, et colore mutato puri concolor redditur; quale etiam in coryza fit, ubi ſimiliter pus colore referens naribus humor exit. Quin et, in utroque morbo, noſter MONROIUS globulos muco mixtos, ubi jam flavum colorem nactus eſt, vidit effluxiſſe.

ERGO, licet irritatio humoris calore mutati auctam excretionem facere haud difficile concipi poſſit; tamen, ſi hominis natura admodum irritabilis eſt, ſi virus admodum acre receptum, ſi morbus neglectus aut male curatus eſt, exulcerari urethrae membranam credibile eſt. Quam revera aliquando exulcerari, gonorrhoeam comitantia aut ſequentia, item urethrae et interdum veſicularum ſeminalium fabrica, probant; probant ductus mucoſi, etiam

etiam maximi, deleti *; item carunculae, et verrucoſa quaedam, quae, licet adeo raro incidant ut incidere omnino nonnulli inficiantur; tamen ſupra relatus Vir, non ſolum evidentia, ſed et ſatis magna, bis animadvertit. Porro, cicatrices ſoli exulcerationi tribuendae in eorum qui olim hoc morbo laboraverant cadaveribus inciſis repertae ſunt †. Poſtremo, certas urethrae membranae prae reliquis partes laborare, manifeſtum eſt. Nam, e centenis gonorrhoeis, in nonagenis et nonis vis mali circiter pollicem latum ab extrema urethra diſtat. Quam praecipuam mali ſedem eſſe, tum digitus eam comprimens, tum ſtylus inſinuatus, tum acris humor immiſſus, tum ipſa urina exiens, et cum hujus loci dolore omnia declarant. Non igitur hujus in gonorrhoea, et ejus in coryza quae eſt, membranae infectio, omni ex parte, ſimilis eſſe ducenda eſt; veriqueſimile eſt, urethrae et glandis aut praeputii

* Vid. Morgag.

† Morgagn. l. c.

praeputii membranas, cum ipſae inter ſe ſimiles omnino ſint, ita ſimilem effectum ex cauſa ſimili gignere; ſcilicet, recepta venerea contagione, utramque exulcerari. Quod ſi non ſimili quoque modo urethrae utique membrana exulceretur, id contingere, quia haec muco defendatur, exiſtimo; atque id ipſum eo etiam veriſimilius eſt, quod verrucae poſt glandis aut praeputii ulcuſcula, et fiſtulae in urethra ob duritiem aliquam ſuperſtitem, innaſci reperiuntur.

Nuper nonnulli urethrae exulcerationes vel negant omnino, vel multo quam ſunt rariores eſſe contendunt; in quam opinionem his rationibus perducti ſunt, quod in recentibus gonorrhoeis vel nullas vel minores, quam pro quorundam hominum opinione, repererant; neque ullas, in cadaveribus hominum qui olim gonorrhoea erant infecti, cicatrices, ſaltem paulo majores, animadverterant. Et quid mirum, ſi, morbo nondum eo magnitudinis perducto ut urethram exulceret, nihil exul-

ceratum repertum eſt? Quod vero alii viri, et in primis LITTORIUS *, ſic quoque ulcera ſe reperiſſe fatentur, id noſtrum argumentum firmat. Neque ulcuſculorum urethrae veſtigia nulla impreſſa, cicatrices nullae detectae, plus ponderis habent. Siquidem et glandis et praeputii et oris membranae ſaepe exulceratae ita poſtea conglutinantur, ut nullam ſui, oculis manifeſtam, notam deinde imprimant. Memorabili autem exemplo mecum communicato hanc rem MONROIUS nuper firmavit; qui ſex et amplius ulcera venerea linguae ſuperiorem partem obſidere, nec veſtigii quicquam, quo locus ubi fuiſſent dignoſceretur, reliquiſſe animadvertit. Poſtremo, licet cadavera hominum gonorrhoea affectorum raro ſint inciſa, tamen idem optimus Praeceptor noſter, cadavere cujuſdem hominis urinae, quam gonorrhoea effecerat, ſuppreſſione perempti, forte inciſo, aperta exulcerationis quae olim fuiſſet ſigna, et aſperitatem quandam ad

* Mem. de l'acad. des ſciences 1711.

ad veſicam uſque pertingentem, deprehendit.

OPINIONEM igitur, quam in ſchola anatomica a viro, candore pariter et ingenio inſigni, nec magis argumentis quam rebus certis firmatam, accepi, bona auctoris venia, propoſui. Quae opinio huc redit, ut gonorrhoeam a venenato quodam muco oriri fateamur; ſed eandem ex ulceribus urethrae longe ſaepius quam creditum eſt naſci quoque credamus.

Humorem gonorrhoeae venereae et Syphilidis eſſe diverſum.

NUNC humorem gonorrhoeae, niſi porro mutatum, ſyphilidem non efficere; et hanc ab alia, illam ab alia, origine eſſe dicendum eſt. Quam rem gonorrhoea, et perquam virulenta et ſatis longum tempus ſuperque permanens, quo humor abſorbeatur, neque in inguine ulcera tamen creans, ita eſſe demonſtrat. Porro, inguen ſaepe exulceratur quando nihil in urethra inflammatur, nihil acre illinc exit.

Denique,

Denique, gonorrhoea virulenta ſaepe arte ſine ſyphilide ſequente ſuppreſſa eſt. Ex quibus omnibus argumentis colligo, ſi ſola abſorptio ad inguinalia ulcera facienda requireretur, ea fere ſemper a gonorrhoea, quod utique non incidit, eſſe oritura; deinde, non e gonorrhoea, prout ea vehementior aut mitior eſt, ſed ab aliqua ejus abdita in urethra mutatione, quae ad abſorptionem ejus neceſſaria videatur, eadem inguinum ulcera ſuboriri. Quae conjectura hoc veriſimilior redditur, quod, niſi humor in urethra tamdiu permanet, donec mutatio quaecunque eſt contigerit, nulla ſyphilidis nota ſeſe prodet. Ad quae omnia accedit, quod, niſi ſyphilis foret a diverſa origine ab ea quae gonorrhoeam facit, illa tamdiu ante hanc primum in Europa non adparuiſſet. Ut igitur, ſive alter morbus ſine altero adpareat, ſive alterum alter excipiat, nihil adeo ſit mirandum, ſiquidem ad rem explicandam ſolum hoc ponendum eſt,

eſt, illam propriam mutationem vel in vagina vel in urethra perfici.

FORSITAN aliquis abditae hujus mutationis rationem a me requirat; quam utique me neſcire fateor. Quod melius eſt fateri, quam quaeſtionem de vinoſa, acetoſa, aut putrida fermentatione chemicorum attingere. Unde nulla argumenta, ratio nulla, niſi in rationis ſimilitudine, aut neſcio qua *analogia* dicta, conſtantia, trahi poſſunt. Quamque rationis ſimilitudinem ne ad propoſitum quidem illuſtrandum deducere rite poſſum. Quin et porro fatendum eſt, hanc tantummodo rationem eſſe nullo dum experimento confirmatam. Quanquam clari ſatis experimenti capiendi copia datur, ſcilicet, ſi quis ex ulcere ſyphilitico tractum humorum in urethram immitteret, et inde gonorrhoea virulenta naſceretur, necne, exploraret.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ opportuna gonorrhoeae corpora reddentes propriae nullae ſunt; ſi enim, exempli ergo, e mille hominibus quos venenum contigerit, nongenti nonaginta et novem morbo inficerentur, quae computatio verum quoque tangere videtur, quis diceret omnes hos conditione, caſu, aut cauſa ulla, opportunos morbo redditos; aut quis non potius illum unum qui ſolus vim mali fugerit, quadam reſiſtendi, praeter communem humanitatis ſortem, facultate praeditum mihi aſſentiret? Contra, ſi ex mille hominibus pariter cauſae morbi alicujus remotae objectis ſexcenti ſeptingenti octingenti, aut plures, morbum fugerent, reliqui eo implicarentur; cum hi, quam illi, longe multo paucióres ſint, certe, aliquam hos rem opportunos prae reliquis reddidiſſe, et opportunitatis cauſam detegere utile eſſe, concederes. Nam

in

in hac re, cauſa remota in corpora per rem aut conditionem aliquam opportuna reddita, una cum hac agens, morbum facit. Quae res aut conditio igitur pro altera cauſa aut principio mali habenda eſt, et, ut neutra ſine altera efficere morbum poteſt, utraque ſimul poteſt; ita utriuſque notitia ad morbi curationem opus erit. Cauſa opportunitatis, principium; quod excitans altera, Poteſtas Nocens, a GAUBIO adpellatur. Sed principia communia, qualia ille quoque poſuit, et quale foret ea conditio in omnibus aut fere omnibus hominibus perpetua, et per quam ſine diſcrimine, et ſola ſeminii ſeu cauſae remotae vi, omnes in morbum incidunt, ipſa natura humana et in ſtatu vel maxime ſano eſt. Quod quidem quam in hoc morbo clarius nuſquam adparet, quo plura de eo hic dicenda putavi. Feliciter enim caſtra Veneris ſequuntur, qui militiae illius ſigna latius ſine vulnere ferre potuerunt.

ERGO

Ergo ſi omnes fere mortales, ubi in iis rebus ſunt per quas virus abſorberi poſſit, in gonorrhoeam incidunt; ideo, ſolam remotae cauſae, ſcilicet veneni, vim ſpectandam eſſe, manifeſtum eſt. Et ſi qui per certum vitae tempus, quales nonnullos novi; ſi alii tota vita, quales vix ullos fingere poſſum, morbo carent; ii praeter naturam reſiſtendi facultate praediti eſſe dicendi ſunt. Et quoniam non ſolum opus eſt ut urethram aut vaginam virus contingat, ſed etiam abſorbeatur; forſitan ea ipſa reſiſtendi facultas, ubi ars non adhibetur, eſt mucus partem oblinens, praeter naturam auctus aut viſcidior, et virus ſic obtundens; aut per artem aliquid viſcidi aut veneno contrarii ad partem defendendam intromiſſum; qualia oleum aut mercurii unguentum ſunt. Veriqueſimile eſt, ipſa vaſa interdum, adeo torpeſcere, ut contagionem parum abſorbeant.

Certe quod ad morbum in aliis aliter, ac modo magis, modo minus, ubi eadem contagio

contagio eſt, ſaevientem attinet; ſimile aliquid in cauſa eſſe videtur: Et cum per inflammationem iſta propria contagio agat, neque morbus gravior aut levior, pro inflammationis ſignorum gravitate aut levitate majore, non reperiatur; ideo habitum inflammationis malum augere, contrarium corporis ſtatum id minuere, non addubitandum eſt.

JUDICIUM EVENTUS.

Quo tempore vel haec vel altera mali venerei ſpecies in Europa apparuit, ſaevior ingenio et curatu difficilior multo reperta eſt. Nunc morbus et tanto mitior, et curandi ars tanto efficacior eſt, ut nihil in medicina certius ſit, quam felix gonorrhoeae ſanatio; uſque adeo, ut ſua ſaepe ſponte decedens integerrimam ſalutem relinquat; ſemperque niſi neglecta, ejus paulo ſaevioris, curatio aut male adminiſtrata eſt, fe-

lix eventus promitti poteſt. Ubi vero ſaevit, neglecta aut male tractata eſt, in ulcera prius inguinum, deinde dira toto corpore firmatae luis caetera mala, mutato, ut dictum eſt, veneno, tranſit. Sed, dempta infecti ipſius aut curantis culpa, nunc ſola plerumque quaeſtio eſt, Intra quod temporis ſpatium ſalus reduci queat? Ad quam reſpondeo, Si aegrotans, ſi medens, ſuum uterque officium faciunt, ſi inflammationis notae non ſolito magis ingraveſcunt, intra paucos dies depelli morbum poſſe. Contra, eſto ſummam inflammationem eſſe, et errores in curatione admiſſos; tamen, ſi mali modus intra luem adhuc ſubſiſtit, nam a noſtro propoſito hujus ratio aliena eſt, intra paucas hebdomadas quamvis fere gonorrhoeam virulentam ad felicem finem perducere non deſperarem. Cui tamen finitae ſaepe ſimplex gonorrhoea, ſeu muci ex naturalibus reſolutis profluvium ſuperſtes, aliis totos menſes, aliis totos annos permanſit. Scio ex humoris colore ſigna eventus trahi ſolita:

Verum

Verum ea ſigna perquam fallacia ſemper ſum expertus; neque quicquam de hac re certius dicere poſſum, quam e multis mediis quaſi umbris eum colorem optimum eſſe qui maxime, eum peſſimum qui minime, albeſcit; craſſitudini autem aut tenuitati ejuſdem humoris nullam habendam fidem cenſeo.

RATIO MEDENDI.

SUPRA expoſitae hujus morbi naturae, haec medendi conſilia accommodata videntur.

1mo, UT virus vel innocuum ſervetur, vel jam nocens urethra ejiciatur.

2do, INFLAMMATIONIS ſigna tollantur.

3tio, UT parti quae affecta erat tonus reſtituatur.

UT ad primum redeam, poſtquam contagionis ſuſpicionem concubitus cum ſcorto,

to, aut etiam titillatio jam ſentita, fecerunt, nec ulla dum graviore nota morbus ſe oſtendit; malo futuro quaedam in urethram immiſſa, quibus muco mixtis venenum obvolvatur, et a vaſorum contactu abſtineatur, occurſura veriſimile eſt. Hujuſmodi vero blanda olea expreſſa et mucilagines ſunt, quae poſt urinam redditam, protinus magna copia immitti praeſtabilius eſt. E quibus utique, mucilagines eo aptiores ſunt quo propius urethrae quam olea adhaerent; eadem et ſaepius immitti et per aliquam ſervari moram debent. Sed haec ipſa ſic immiſſa, cum non intus ſubſiſtant, ſed remoto per quem immittantur protinus ſyphone refluant; non ſolum humorem noxium obvolutum ab urethra removent, ſed eundem, quoties ipſa exeunt, toties parte aliqua ejiciunt; ut ideo haec primi conſilii pars ab ea quae ſequitur non aliena ſit; ad quam ut tranſeam:

Simul ac inflammationis aliquantum advenit, utiliſſimus mercurius erit. De cujus utilitate quia nulla controverſia eſt, ſolum quae forma ejus potiſſimum utenda ſit requiritur. Dum omnes mercurii formae acriores terrori medicis fuerunt, ideo ipſum metallum cum melle contritum et aqua diffuſum ſolum adhibebatur. Quod medicinae genus, quia incommodum reperiebatur, in ejus locum nonnulli calomelas ſuffecerunt. Cui deinde, quia parum reſpondebat, et in urethra concreſcebat, corroſivum ſublimatum ſucceſſit; quippe quod, ſolum omnium ex medicamentis e mercurio paratis aqua ſolubile, quod in urethram injicias aptum ſit; ſed neque hoc quidem in ſaeviente inflammatione reſpondet. Ejuſdem quod ad copiam immittendam attinet, (nam in acerrima medicina, in tenerrimam partem, eamque inflammatione etiam teneriorem factam, immiſſa, quantum immittatur, ſane perquam refert); a dimidio grano quatuor aquae unciis ſoluto

ſoluto ita incipiendum eſt, ne totum granum deinde poſt excedas. Unoquoque vero tempore immittere pergas, donec homo doloris aliquantum ſenſerit. Simul mucilagines ſupra dictas cum eo alternatim injicere convenit. Sed hoc remedii genus ſolum incipiente vel deſinente morbo recte uſurpatur. Contra vigentem inflammationem auxilia alia quaerenda ſunt.

Ergo, ut ad tertiam conſilii medendi partem tranſeam, quae in tollenda inflammatione conſiſtit; hanc ſanguinis detractio, vitatus calor, poſitura corporis jacentis, item victus levis et refrigerans, diluentia, refrigerantia, et alvum purgantia, tollunt.

Quantum ſanguinis detractio adverſus omnem inflammationem, ſive parti ſeu toti corpori inhaerentem, quamque late valeat, et fuit ſemper eſtque omnibus manifeſtum: Cujus ratio, non aeque omnibus patens, haec eſt. Habitus inflam-

flammationis, in arteriarum vel universarum vel partis alicujus tensione nimia consistit. Quam tensionem sanguinis quoque, vel ex magnis vasis, si habitus inflammationis ubique est, vel e parvis partis inflammatae, detractio melius solvit. Ergo, cum pars hic laboret, sanguis e parte laborante, quam e remotiore, demptus utilior est. Neque tamen inficias eo, quin venae in remotiore parte majoris incisio gonorrhoeae profuerit; praesertim si quis alias pleniore habitu forte esset, aut inflammatio in reliqua corporis, jam ante ei opportuna, serperet. Verum, ex ipsa protinus cole, vel incisa illic venula, vel hirudinibus admotis, ubi nihil nociturum vetat, sanguinem auferre praestat: Venulam autem incidere minus placet; quod et effectu difficilius est, et sanguis vasis in vicina effusus, et locum deformans, terrori ei qui afficitur esse potest. Ergo sanguinem per hirudines potius demendum judico; et quia factu facilius est, et quia turgescens sanguine locus ipse

sic

ſic melius exoneratur. Neque moveor quod hirudinum uſui objici poteſt, periculum eſſe ne receptum vulnere virus id in ulcuſculum convertat. Siquidem et munditiae, nunquam in hoc morbo negligendae, prohibebunt; aut ſi ulcuſculum incidat, quid adeo timendum eſt? Ulcuſcula enim quoque munda ſervata cito bene ſanantur; aut, ſi moleſta evadant, non malae curationis ſunt. Certe ego juvenem novi qui ulcuſcula plura nec contemnenda, ſine ulla niſi munditierum cura, cum ipſe ſimul alias, merum potando, peſſime ſe gereret, intra quinque dies conglutinavit, neque ulla deinceps moleſtia affectus fuit. Hirudinum morſus, aliquando leviter venenatus viſus, non eſt pro commodis ex hoc remedio oriri ſolitis periclitandus: Porro, calorem vitandum eo dixi, cujus ſtimulus nunquam non inflammationem auget; frigidiuſculus aër igitur, quantum fieri poterit, quaerendus eſt. Item ciborum ſtimulantium, vinorum

vinorum aut liquorum inebriantium, ſtimulus vitandus.

ALIUS calor, ideoque alius quoque ſtimulus ex corporis motu oritur, qui in primis etiam fugiendus eſt. Cum enim, ut Praeceptor noſter CULLENUS ſaepe ante, ſed praecipue inter biennium, docuit, caloris origo in oſcillationibus aetheris nervoſi ſita ſit, eaque in impulſu rerum externarum conſiſtant; quid magis excitare oſcillationes nervoſas poteſt, quam ſimul toti ſummo corpori tot ſtimuli admoti quot totum id commoveant? Ergo id quod motui contrarium eſt, ſcilicet omnium quam maxime membrorum quies paranda eſt.

SED praeter quietem, certa corporis poſitura huic morbo convenit. Ea ſupina aut reclinata eſt, ſiquidem omnes infra cor partes praecipue quae protinus magnis arteriis illinc deſcendentibus ſubjacent, ſtante homine, maxime replentur; jacente, ſanguis aequabilius toto corpore diffundi-

tur; nec ulla pars genitalibus magis ſanguini ex corde praecipitato torrenti magis ſubjicitur.

ITEM victus ratio accuratius reſpicienda eſt; nam is parcus, levis, lenis, ex materia leviſſima confectus, idoneus eſt; itaque juſcula, levis et recens ſine ſale caro, ex plantarum genere et maxime refrigerantium cibus, et potiones diluentes, reſpondent.

DILUENTIA praeterea pro medicamentis adhibentur. Quae ſanguine recepta et ad partem laborantem delata urinae ardorem extinguunt, quia acrem humoris naturam minuunt. Quae utique prodeſſe, niſi magna copia et aſſidue aſſumpta, nequeunt: Sanguini enim per totum corpus circumeunti permixta, quid niſi large aſſumpta, in quavis una parte, boni praeſtare poſſunt? Quae cauſa quidem eſt quod nullos ſaepe fructus ab iis accipitur. Quae frequentiſſime adhibentur diluentia,

diluentia, gummi Arabicum, althaeae radix, et lini ſemina infuſa ſunt. Quorum proprietates, cum pares fere ſint, ideo duo priora antepono; nam lini ſemina pleriſque ventriculis ingrata, tanta copia aſſumi nequeunt, quantum uſui eſſe ſperetur. Verum multo potentius urinae ardorem extinguunt, in urethram protinus ipſam blandi liquores immiſſi.

REFRIGERANTIUM praecipuae mixturae ſalinae, et ex his potiſſimum nitrum, eſſe dicuntur; quae utique ventriculo maxime injucunda ſunt, nec praeterea ulli uſui eſſe videntur. Immo reliquis omnibus praelatum nitrum, adeoque a multis contra omne genus inflammationis efficax creditum, nulla copia quam ventriculus ferat datum, omnino levare poteſt.

NEQUE purgantia pleraque id auxilii quod fama fert praeſtare reperiuntur. Validiora enim anum loco inflammato proximum irritant, et tantum mali eo ſtimulo,

mulo, quantum, humores e vicinio auferendo, boni, hercle, praeſtant. Atque inſuper eadem urinae ardorem inflammant. E quibus ſi qua adhibenda ſunt, ea leniſſima ſunto, qualia ſal Glauberianus, cremor tartari, et manna, ſunt. Quod ſi gonorrhoeae virulentae mala, his fruſtra adhibitis remediis, ſaeviunt, cujuſmodi ſunt urinae ardor, tentigo nocturna, et colis conſtrictio, adverſus eas turbas alia porro medicina quaerenda eſt; quorum adeo communis natura eſt, ut una medendi ratio omnibus conveniat.

Igitur urinae ardor, ſi quando, quod rarum eſt, adeo intolerabilis ſit ut hanc ſupprimat, aut etiam ſi hanc infra vehementiam ſubſiſtat, ſed ſuperiorum auxiliorum nullo ſit ſublevatus; primum terenda in urethram ad hanc patefaciendam inſinuandus eſt. Cui ſi nullus, propter vehementem conſtrictionem quae aliquando incidit, aditus eſt, poſt opium datum urina cathetere educatur.

Ad tentiginem nocturnam aut conſtrictionem prohibendam, nihil melius eſt quam non ſolum re ipſa ſed et cogitatione a Venere cavere. Et licet concubitus hac in re aliquando prodeſſe cum dolore comperiatur, tamen ſine dolore, ſine novi mali periculo praeſtat, plus levaminis adipiſci. Nam quies et ſanguinis detractio multo magis proſunt.

Phymosis et paraphymoſis proxima cura eſt.

In iis praecipuum remedium munditiae ſunt. Itaque calida aqua lacte commiſta colis foveatur: Idem fomentum intra glandem et praeputium immittatur; et ut juſtus calor ſit curetur. Ego oleum cum parvula unguenti mercurialis copia conjunctum plurimum prodeſſe animadverti. Quod tamen auxilium ab oleo partem aegram laxante, non a mercurio ortum arbitror; quia, utut adverſus virus is valeat, dubium non eſt quin parti inflammatae

flammatae admotus, irritando, inflammationem augeat. Poſtremo, ſi nihil juvit, chirurgi manu opus eſt.

Ulcuscula munditiis quoque, in quibus praecipuum eorum auxilium conſtat, praecipue; et eadem, qua conſtrictio modo narrata, ratione tractentur. Hic tamen unguentum mercuriale magis idoneum eſt; quod affluentis ulcuſculis veneni vim refringat. Neque haec inflammatio, quippe quae minus quam ea quae conſtrictionem facit ardeat, aeque mercurii uſum vetat. Adverſus fungoſam carnem aliquando ex ulcuſculis ſuccreſcentem, exurens ſeu cauſticum aliquid requiritur.

Si quando, quod rarius incidit, non e contagione ſed ſerpente eò inflammatione, tumores inguinum orti ſunt; aut ſi quando, quo nihil fere frequentius eſt, gonorrhoea virulenta eos inferre periclitatur; certe noſtrum eſt, ut neutrum accidat curare. Id mercurius tumenti parti femorique

rique interiori qua vaſa lymphatica diſcurrunt impoſitus, praeſtabit. Si eoſdem ad ſuppurationem perducendi erit neceſſitas; id ita ut in tumoribus ex ſimplice inflammatione natis fieri ſolet, hic quoque fieri oportebit. Quod quia minus ad noſtrum propoſitum, et ad alteram magis morbi ſpeciem pertinet, in medio relinquamus.

Testiculi, niſi male curato aut neglecto morbo, non temere intumeſcunt. Quem tumorem, ſemen ſtimulo inflammationis ſimul ſuppreſſum, ſimul uberius ſecretum, facere videtur. Remedio ſunt omnia quae inflammationem tollere ſupra dicta ſunt, et praeter ea corpore reclinato quies neceſſaria eſt.

Supra dictis remediis, venenata cauſa et ab ea pendente inflammatione jam ſublatis; fere ſemper mucoſa urethrae vaſa, partim morbi vi, partim curationis effectu, reſoluta, diutius aut brevius mucum profundere

profundere conſueverunt. Cui profluvio, ſi tonus omiſſus vaſis reſtituitur, obviam ſatis itur. Remedia tonica ſunt; et prae caeteris aſtringentia: Quae ut manente morbo adhibita, peſſimas turbas, duros urethrae tumores, conſtrictionem, teſticulorum tumores, et ſimilia, trahunt; ita antequam morbum deceſſiſſe exploratum erit, non ſunt utenda. Cujus poſt manifeſtum deceſſum, balſamum copaivae et cortex Peruvianus ore aſſumpta, et totum corpus, ideoque partem imbecillam, roborando, optima ſunt remedia. Neque quo minus in ipſam partem, talia aqua multum diluta, ut aqua calcis, vitrioli diluta ſolutio, et aquae roſarum, immittantur, quicquam obſtat.

ALIUD tonicum remedium frigida lavatio, et optimum eſt. Cujus, ſi diuturnius profluvium futurum videtur, diuturnior quoque uſus totum corpus roborat, et ſic parti affectae priſtinam vim reſtituit.

POSTREMO,

POSTREMO, non omittenda exercitatio eſt; quae viribus accommodata, ut e reliquis, ita ex hoc morbo convaleſcentibus, neceſſaria eſt. Quippe quae cibi deſiderium creat, concoquendi vires roborat, et tenſionem canalis alimentarii, cum totius corporis tenſione conjunctam, idoneam dando, hanc corporis ubique praeſtat.

ABSOLUTA tandem hac qualis qualis ſit diſputatione, legentes veniam errorum rogo; Praeceptoribus vero meis, ac, prae caeteris, egregiis viris CULLENO et MONROIO, cum fructus a praelectionibus percepti, tum amicitiae qua me privatim dignati ſunt, et multorum in me collatorum beneficiorum, debitas gratias ago.

FINIS.

BRITISH
MUSEUM